



10705. 1789, 28.
ELECTOR IO. GEORGIUS II

SAXONIAE ET LVSATIAE LEGISLATOR

AD AVDIENDAM ORATIONEM

IN AVDITORIO ICTORVM

PRO CAPESSENDA

IVRIS SAXONICI CATHEDRA

D. xxv. NOVEMB. A. O. R. c1010cclxxxix

RECITANDAM

OBSERVANTISSIME INVITAT

AVGVSTVS CORNELIVS STOCKMANN

LIPSI AE
EX OFFICINA IACOBÆERIA

LECTOR IO. GEORGIUS II

IN OMBRE DEI SACRI REGNI

DEI SACRI REGNI

IN AUDIENDIS

NO

PARIS SACRORUM CATHEDRA

DE SACRIS

REGIMINE

DE SACRIS

DE SACRIS


DE SACRIS

DE SACRIS

DE SACRIS




Qui praeclaro acumine praeditus omnique disciplina liberali bene tinctus difficillimos iuris laqueos felicissime enodauit, ac nomen suum, inter media fori iurgia, viuis spiransque, ingenii monumentis tam pulchris, tam selectis, tam subtilibus, tam doctis denique immortalitati tradidit, ut ipsos adeo Belgas, non semper aequos Germanorum aestimatores, in sui admirationem venerationemque quandam conuerteret, CHRISTERIDVS WAECHTLERVS; ICTus caesarumque patronus quondam apud Dresenenses eloquentissimus pariter ac religiosissimus: is quidem in solenni oratione, pie Sanctissimi Principis Electoris Ioannis Georgii Secundi memoriae publice d. IV. Octobris 1733. Wittebergae consecrata, ibidemque paullo post typis exscripta, quam vna cum reliquis eius opusculis, raro obuiis, nec sine sumptibus vndique congestis, nouae, quam paro, editioni, post Traiectinam a CHRISTIANO HENRICO TROTZIO, ICTo Batauo, 1733. octonis factam et vno volumine comprehensam, mancam illam quidem et imperfectam, ab aliquo inde tempore diligentissime seruo, is, inquam, in solenni hac oratione, Serenissimos Electores Saxoniae optimos legumlatores, scriptisque sanctionibus saluberrimis, verissimam immortalitatis gloriam consecutos esse, satis concinne, argumentis a iure diuino et naturali, Romanorum porro aliarumque gentium petitis, comprobauit. Habuit sane inaugurale hoc WAECHTLERI *de immortalitate boni legistratoris* specimen apud TROTZIVM tantam vim et auctoritatem, ut argumenti amoenitate et praesantia captus nonnulla eius capita in




commentario *de memoria propagato, Trai. ad Rhen. 1734. 8.* edito p. 68 sq. et p. 179. delibaret, rem ipsam peculiari libello ulterius pertractare promitteret. Ego vero, missis his, in ipsa, quam WAECHTLERVS praedicauit, immortalitatis causa, legumlatione, studium meum ac diligentiam figo, veritus, ne in laudanda hereditario iure a maioribus tradita Optimorum Principum prudentia leges ferendi et celebranda enascentis inde gloriae diuturnitate verba potius, quam rerum materia, deficiant. Jucundissima enim hac scribendi necessitate imposita, dum, quae sint enarrandae legum patriarum historiae idoneae, condo et compono, vt suo tempore depromam, apud animum constitui, particulam operis decerpere, et de legibus, iis potissimum, quae a DIVO IO. GEORGIO II. tanquam sanctiones provinciales sapientissime conditae sunt, breuiter — neque enim plures circa vnam rem ambitus facere, instituti fert ratio — in praesenti disserere. De quibus legibus, data opera, quod quidem sciam, ab nemine vlllo expositum est, negligentia potius nostrorum aliqua, quam ignoratione.

IOANNES GEORGIVS SECVNDVS, qui alterum Saxoniae Augustum retulit, (CHRISTIANVS KNAVTHIVS in *prodrum. Mj/n. Dresd. 1692. 12. p. 464. alterum Saxoniae Numam* vocat, *auspiciale nomen inter togatas virtutes continuantem*) nactus est diuino munere parentes ex domo antiquissima Serenissimos, Io. Georgium, qui primus cognominatus fuit, et Magdalenam Sibyllam, Alberti Friderici, Marchionis Brandenburgici, filiam, ex qua anno MDCCXIII die xxxi Maii Dresdae lucem huius mundi felici auspicio aspexit. Facta e patris testamento provinciarum Saxoniarum partitione, accepit IO. GEORGIVS SECVNDVS praeter Electoralem dignitatem et terras ad Electoratum pertinentes, itemque Burgraviatum Magdeburgicum, tractem terrarum Misnicum cum Episcopatu Misnensi et Wurzensi, Lipsiensem porro et metalliferum tractum, itemque Marchionatum Lusatiae superioris cum nonnullis aliis locis, quae vltimis



ultimis voluntatis paternae tabulis illi destinata fuerant. Suscepit, patre die VIII. OCT. 1606. VI. pie defuncto, fasces Saxoniae Electorales. Vxorem duxit Magdalenam Sibyllam, Christiani Marchionis Brandenburgico-Culmbacensis filiam, ex qua natus fuit praeter duas filias, matura morte ereptas, Io. Georgius III. quem solum superstitem ille successorem habuit omnium virtutum summatum gloria cumulatissimum. Ipse Elector, quem CONSTANTINVS GERMANICVS, siue, qui sub hoc nomine latet, PHIL. ANDR. OLDENBURGERVS, Profess. Genev. exemplum hominis, obseruante BURCK. GOTTH. STRVVIO in *bibl. philos.* c. VII. §. 31. et in *notit. rei. lit.* c. IX. §. 39. ultra sortem audacis, et nimis libere de rebus Imperii iudicantis, in *Itinerario Germaniae politico Cosmopoli* 1668. 12. impresso p. 298. principem in omnium virtutum exempla genitum nominat, morbum contagiosum declinaturus, Dresden relicta, Fribergae Hermundurorum die XXII. Aug. anno 1606. CLXXX vitam cum morte commutauit, ibique in sepulcro hereditario conditus est. Fuit lenissimi princeps ingenii atque animi excelsi tam praeclare educatus, vt omnes in eo virtutes clarissime eniterent. Neque enim satis habuit IO. GEORGIVS SECVNDVS, vere secundus, et fausto quodam sidere ac propitio numine Saxoniae datus, solis maiorum meritis celebrari: suarum etiam virtutum splendorem addidit Princeps, rerum in toga gestarum gloria immortalis. Ab ineunte statim aerate diuinae humanaeque sapientiae studia perdidit penitus atque hausit eum in modum, vt rerum theologicarum callentissimus in historia et antiquitatibus patriis excelleret. Artibus pacis innutritus, varias vrbes, Dresdam imprimis, Torgauiam ac Budissam ornauit, pontes magnifice extruxit, castella et arces muniuit, et multa alia praeclare instituit. Post ordinatam rempublicam, quam ciuilibus turbis fessam et languidam acceperat, literarum quoque studia ingeniaque hominum fouere atque ornare coepit, doctos et sapientes




viros, sacris praefertim literis deditos, uti erat ipse verbi divini
 amantissimus, maximi fecit, nec quicquam, quod ad augenda bo-
 narum artium ornamenta pertineret, facile praetermisit. Expertae
 sunt liberalitatem eius, academiae Saxonicae, Wittebergenfis inprimis,
 cui non modo insignes immunitates concessit, sed et patrimonium
 auxit, ac decem amplius millia nummum et doctoribus publicis
 et disciplinae publicae alumnis ad victum cultumque elargitus est.
 Pacem, pacis studiosissimus, domi forisque conferuandam et tam in
 priuatis, quam in publicis ad Romanum Imperium spectantibus re-
 bus et inter ipsos Imperii ordines concordiam reuocandam diligen-
 tissime curauit. Loquuntur hoc, ut vnum tantum rei exemplum
 ponam, mutuae successione pacta, cum Iulio Francisco, principe
 Saxo-Lauenburgico, anno 1609 inita, quibus ipsis pristinas de
 Electoratu controuersias felicissime composuit: loquuntur saluberrimae
 illae pacis leges et conditiones, quas in negotio immensi mo-
 menti, Daniae inter Suediaeque reges, maximis curis et prouidentia
 inaeffabili, si non tulit, promouit tamen, eaque re, crudelissimo exte-
 rorum regum bello, non belli, sed pacis artibus, finem imposuit.
 Quantaquanta vero Optimi Principis ab obitu Ferdinandi III, ipsa lege
 deferente, Imperatoris vicarii, qui praefens interfuit comitiis Franco-
 furtenfibus, in Romanum Imperium extiterunt merita, de quibus
 consulendi sunt IO. SEBAST. MÜLLERI *annales Sax. Vinar.* 1700.
 f. p. 414. sq. longe maior tamen ac singularis prorsus fuit eius cura
 et prouidentia in promouenda ditionum suarum salute, quas rebus
 aduersis protexit, pacatis restituit, secundis ornavit. Testem eius
 curae inter tot alia ad stabiliendam rempublicam egregie instituta,
 quibus iam immorari non datur, superflitem habemus indefessum iu-
 ris tuendi studium, quo quidem incensus constituit, ut iustitia, com-
 munitas illa pacis nutrix ac mater gubernationis, in prouinciis suis rite
 administraretur, ius suum cuique tribueretur, ac tranquillitas in pa-
 triae

triae finibus conferuaretur. Nihil enim, vt primum Saxoniae gubernaculis admotus est, prius, nihil antiquius habuit Celsissimus Princeps, quam vt patriam, belli calamitatibus afflictam, erigeret prorsus ac pacatam seruaret, latis ad finem hunc consequendum constitutionibus et legibus optimis, quas tanquam limpidissimos felicitatis suae fontes ad hunc vsque diem Saxonia pie respicit, nec temeritate cuiusquam patitur violari.


Accedamus propius ad has leges, quarum initium faciendum putamus ab ORDINATIONE COMITIALI, inter ipsa solennia, quibus Saxoniae ordines in fidem et clientelam IO. GEORGII SECUNDI sese contulerunt, in primis statim comitiis Dresdae anno 1077. habitis promulgata, in qua Princeps Optimus cum vniuersum conuentuum habendorum modum, tum morem, causas ad salutem publicam pertinentes in iis tractandi, definiuit. Hanc ipsam ordinationem, in comitiis Torgauensibus anno 1095 iamiam propositam, posterioribus nunc curis adeo limatam, vt ex vndeuiginti capitibus constaret, immutatam deinceps, variisque accessionibus locupletatam accepimus a FRIDERICO AVGVSTO, Rege Poloniae, tum rerum gestarum magnitudine, tum legum optimarum auctoritate immortalis, facta die XI. Martii 1088. de rebus comitialibus constitutione nouissima, quam, qui de solennibus ordinum provincialium conuentibus diligentissime omnia congescit, DAN. GOTTFR. SCHREBERVS, adiecit nouae editioni libelli: *Ausführliche Nachricht von den Churfürstlich-Sächsischen Land- und Ausschusstagen*, Halle 1769. 8.

Maximum sane numerum explent leges a IO. GEORGIO SECUNDO latae: extant enim, quae in Corpore Iuris Saxonici reperiuntur, ducentae et sexaginta. Praeter has sunt adhuc plures, quae hinc inde sparsae latent, quas extraneas liceat nominare, cum non contineantur eo, quod laudauimus, legum corpore. Neque tamen singulas




gulas hic recensere lubet, ne longius a proposito nostro distrahatur. Satis fuerit, potiorum legum historiam texere, reliquis ad sua genera reuocatis. Sunt, si ab iis, quae ad rem militarem spectant, ac nonnullis aliis discesseris, ab Electore tanquam Imperatore vicario ac Romani Imperii Archimareschallo praescriptis, de quibus plura suppeditat MICH. HENR. GRIEBNERVS in libellis egregie scriptis: *de praecibus primar. Vicar. Imp. et de iuribus Vicariorum*, insertis Eius *Scholis Opusculis iuris publ. Halae Mogdeb. 1722. 4. Tom. II. p. 165. et p. 199.* si sunt, inquam, eae leges vel ciuiles, vel ecclesiasticae. In harum numero primum sane locum tenent EDICTA tanquam leges prouinciales sub nomine: *General- und Special-Instruction, wie die verordneten Visitatores, Superintendenten und Adjuncten die Visitation verrichten sollen, ubst dem revidirten Synodalschen General-Decret*, die xv. Sept. anno MDCCCLXXIII. publice proposita, et CODICI AVGVSTEO Tom. I. p. 817—838. inserta, in quibus, post visitatas semel iterumque scholas et ecclesias, de singulorum in iis ordinum ac docentium finibus et officiis, de ratione doctrinae et cerimoniarum, de disciplina, et bonis ecclesiasticis, de stipendiis academicis, de scholis tam vulgaribus, quam principalibus, de synodis et visitationibus, aliisque rebus huc pertinentibus tam multa praecclare constituit, ut ea lex perfectissimarum non imperito legum exemplum habeatur, in qua saepe haereas, sapientiam magis, an pietatem et zelum admirere. Ac quoniam compertum habebat, academias esse republicae feminaria, artium bonarum officinas, virtutis ac sapientiae domicilia, reliquit non solum singularis plane munificentiae et inusitatae liberalitatis monimenta in iis fouendis et dotandis, sed et stator earum verissimus extitit, edita die xx. Martii anno MDCCCLXI. peculiari functione, qua peruersum illum academicos tirones iniuriis atrocissimis afficiendi morem — penalisimum vocabant — feuerissime prohibuit ac profus aboleuit. Inciderat enim IO. GEORGII SECVNDI

actas




aetas in ea tempora, quibus disciplina academica, non in Saxonia solum, sed per vniuersam fere Germaniam spreta iacebat. Homines sceleratissimi, vltra anni spatium in academiis morantes, libere per omne genus facinorum vagari, nouitios academicorum studiorum conuiciis ac verberibus indigne tractare, iis pecuniam et computationes aut vi et minis extorquere, aut simulatis persuasionibus exsculpere, nullam leges auctoritatem habere, misceri denique omnia. Frustra de his turbis consilia in comitiis Imperii anno 1606. 1617. habitis agitata. Perfecit tandem Elector noster beneficium, quod et terris Saxonice et omni Germaniae concessit, laudibus non satis praedicandum, prolatis eam in rem ab academia Wittembergensi, quae et ipsa huic malo per leges academice anno 1606. 1633. promulgatas et ab exteris adeo academiis receptas remedium adhibere studuerat, in primis IO. GEORGII SECVNDI comitiis 1606. 1617. publicis querelis, quas acta comitialia exhibent. Iussit enim literarum cultores ad bonos mores redire et vestitu decoro incedere, constitutis poenis seuerissimis non modo in nefarias istas pennaalitates, (quidni enim barbaram monstruosamque rem barbara et monstruosa voce appellemus?) sed etiam in eos, qui interfuerint eiusmodi rebus illicitis, et talia perpetrantibus operam nauauerint, ac quasi egerint secundas. Quae aliae leges de disciplina rebusque ecclesiasticis praecipunt in Corpore legum Saxonicarum non obuiaae, eas larga manu suppeditant, qui de rebus Saxonice peculiare commentarios composuerunt, ANT. WECKIUS in *der Beschreibung der Residenz Dresden, Nürnberg* 1680. f. p. 121. 151. 379. et sq. IO. SEBAST. MÜLLERVS in *annalibus Sax. Vinar.* 1700. f. p. 444. et 484. AVCTOR *Memorabilium Saxoniarum Lips.* 1724. 4. p. 944. IO. IAC. VOGELIUS in *annal. Lipsicis.* Lips. 1714. f. p. 724. IO. CHRIST. LÜNIGIUS in *teutschen Reichs- Archiue* ab anno 1648. ab B. 1648. ab anno 1648. ab anno 1648.






chiv, Lipsf. 1713—1722. XXIV. Vol. f. Part. spec. Cont. II. p. 505.
 vt mittam alios.

Progredimur ad leges ciuiles a IO. GEORGIO SECUNDO conditas, quarum maxima rursus occurrit varietas. In aliis enim iura fidei definiuntur; aliae ad causas administrandae iustitiae, et iuris dicendi rationem pertinent; aliae politiam regunt; vt taceamus, quae ad mercaturam, res metallicas, monetarias, aliasue spectant, et quae vel in generibus allatis continentur ipsae, vel nulla recensione egent, cum obuiaae sint Corpus iuris Saxonici leuiter euolentibus. Omnium in se oculos conuertit ORDINATIO POLITIAE, quae die XXII Iunii anno MDCCXXI promulgata fuit. Causae huius legis non sunt longius arcessendae. Ipse IO. GEORGIVS SECUNDVS in sanctione ordinationi praemissa edendae illius necessitatem commemorauit. Scilicet miserrima per hoc tempus erat politiae nostrae facies, in maximis, quibus patria diu multumque iactata fuit, belli calamitatibus. Quae enim a IO. GEORGIO PRIMO anno MDCCXII edita aliisque deinceps ad eundem finem consequendum tendentibus legibus confirmata erat politiae ordinatio; ea tantum absuit, vt medellam malo adhiberet, vt potius non sine magistratuum negligentia quadam contraria omnia efficeret. In primis igitur post susceptos Electorales fasces comitiis, anno MDCCXVII habitis, Serenissimus Elector, de conseruanda politia quam maxime sollicitus, id negotii dedit statibus, quos Dresdam vocauerat, prouincialibus, vt in vsum renocarent constitutiones de politia et re sumtuaria a IO. GEORGIO PRIMO saluberrime latas, ac, rebus vrgentibus et iubente necessitate, serio cogitarent de mediis, quibus maior eiusmodi legibus auctoritas conciliaretur, adhibendis. Quibus rebus factum est, vt, cum ad patriam bellis ac turbis ciuilibus vexatam pristinae tranquillitati quasi postliminio reslituendam opus videretur remedio ex ipsis legibus petendo, ordines prouinciales, noua de politia constituenda consilia cape-



caperent et in conventibus anno 1610. x habitis ad Serenissimum Electorem referrent, republicae Saxonicae, quam experta esset belli tricennalis calamitatibus, eandem fere sortem, luxuria ab anno 1610. x in patriam inuicta, imminere, additis simul rationibus, quibus obex ponendus esse videretur malo latius in dies serpenti. Annuit Elector, pacis artibus ac studiis deditissimus, precibus Ordinum in comitiis publice propositis, et communicata cum ipsi Imperii lege de politica lata, repetitae praeflectionis **ORDINATIONEM: Polizey, Hochzeit - Kleider - Gesinde - Tagelöhner und Handwerks-Ordnung**, in scriptam, suoque aevo accommodatam, adhibitis prius in consilium viris harum rerum peritissimis, promulgavit. Absolvitur haec constitutio viginti tribus titulis, de purioribus sacris, de die sabbati sancte agendo, de periurii poena, de lusu et iniuriis, de mendacantibus, latronibus, cingaris et cayponibus, porro de sumtuum in nuptiis celebrandis modo servando, de sepulturis, conuiujs, aliisque ad rem sumtuariam pertinentibus rebus, de opificibus, servis ancillisque, et mercede diurna egregie praecipientibus, et **CODICI AVGVSTEO Tom. I. p. 1561—1614** insertis. Noluit autem **IO. GEORGIVS SECVNDVS** constitutiones de hisce rebus a maioribus antea editas abrogari, vti apparet ex edicto ordinationi praemisso: *darbey Wir aber Unsern in Gott ruhenden geehrten lieben Vorfahren, sonderlichen aber weiland Churfürst Ernsten, Churfürst Moritzen, Churfürst Augusten, Churfürst Christiani des Ersten und Andern, und Unsern hochseligsten Herrn Vaters und Gevatters, Churfürst Johannes Georgen des Ersten, allerhochlöblichsten Gedächtnis, Kirchen-Landes-Ober-Hofgerichts-Ehe-Tax-Fisch-und Mühl-Ordnung, in gleichen Churfürst Augusti Landes-Constitutiones, und das zu Torgau anno 1583 publicirte Ausschreiben, item die Resolution und Erledigung derer Grauanimunde a. 1612 und alle andere heilsame Ausschreiben und Satzungen keinesweges ausgeschloffen, sondern dieselbe sambt und sonders*






wörtentlichen anhero wiederholet, erneuert, bestätiget, und ihnen gleichfalls in allen (wofern in dieser Ordnung und Unserer Erledigung derer Landesgebrechen ein anders nicht versehen) unterthänigste Folge zu leisten, darauf und nach Inhalt derselben zu verabschieden, zu sprechen, zu erkennen, und in und außserhalb Gerichts sich darnach zu achten, hiemit anbefohlen haben wollen. Tradidit tamen ad salutem reipublicae eo tutius promouendam expeditissimam litium tractandarum viam, constituendo, vt, omnibus ambagibus recessis, et missa processus ordinarii formula, eiusmodi causae de simplici et plano cognoscerentur. Quae quidem a IO. GEORGIO II. promulgata politicae ordinatio, quamuis recentioribus quibusdam legibus Saxoniacis, vestliaria inprimis d. XXI. Febr. MDCCCLXXI et famulari repetitae praelectionis d. XVI. Nou. MDCCCLXXIX promulgata, quarum prior in CONTIN. COD. AVG. Part. I. p. 750. posterior *ibid.* p. 967. inserta reperitur, videatur ex parte abrogata esse: egregium tamen in foro versantibus vsus quotidie suppeditat, suamque in causis obuenientibus vim et auctoritatem etiamnum exserit. Cui, nescio, an argumenti similitudinae ductus in tanto aliarum de politica constituenda legum cumulo adiciam singulare illud privilegium, aeneatorum collegio concessum, quod memini me legere in MÜLLERI *annalibus Saxon.* p. 444. Archimareschallatus officio, quod debetur Serenissimis Electoribus Saxonibus, fodalitii, quod buccinatores constituunt, protectionem inesse, post CHRIST. WILDVOGELIVM in *Diff. de buccinatoribus eorumque iure, Jen.* 1711. 4. egregie docuit Praeceptor Optimus et post fata adhuc superstes, IO. THEOPH. SEGERVS in peculiari libello, qui inscribitur: *Archimareschallus Imperii aeneatorum patronus et index, Lips.* 1775. 4, depromptis potissimum argumentis ex ipsa Ferdinandi II et III Augg. confirmatione, qui leges a fodalibus pactas assensu suo sub hac cautione approbaerunt, ne ista confirmatio de Septemviri Saxonis tanquam buccinato-

rum

rum castrensiū excelsi patroni ac iudicis, deque successorum eius iure et facultate aliquid detraheret. Buccinatores igitur, qui iure Saxonis rebus suis optime consultum prospectumque experiuudo cognouerant, freti tanto praesidio, a IO. GEORGIO SECUNDO, Potentissimo Patrono, non illud solum, oblatis libellis supplicibus, impetrarunt, vt vniuerso aeneatorum collegio et in suis ditionibus et in adiacentibus aliorum Electorum et Principum territoriis defensionem ac tutelam clementissime promitteret, sed etiam in priuilegii tabulis die VII. Martii anno 1691 confectis constitutionem a Diuo IO. GEORGIO PRIMO anno 1681 eiuissam repeteret, repetitam accessionibus locupletaret, statuta simul centum aureorum poena aduersus comoedos, fidicines, tibicinesque vagantes, et quotquot cum iis conuersarentur, aut in tabernis atque popinis vitam transigerent, aliosque, qui ab honestis buccinatorum collegiis et sodalitiis excludendi viderentur, si inter conuiuia et epulas buccinis canere ausi essent.

Sed redeamus quasi e diuerticulo, vnde digressi sumus. Quod enim ab initio diximus, multas easque saluberrimas leges sub IO. GEORGIO SECUNDO conditas esse; id declarant potissimum RESOLUTIONES PUBLICORVM GRAVAMINVM, die *Erledigun-gen derer Landesgebrechen*, ab eodem Electore Sapientissimo d. XXII Junii anno 1691 promulgatae et in CODICE AVGVSTEO Tom. I. p. 195 — 294 repetitae, quae quidem Resolutiones, cum et Principis auctoritate, et Ordinum consensu, solenniter promulgatae sint, iure optimo maximo sanctionum prouincialium nomine venire solent. Ex actis comitiorum statuum Saxoniae prouincialium edocemur, causas horum grauaminum anno 1696 expositas, et insequenti anno iam iam tractatas esse. Curatius tamen in conuentu sub IO. GEORGIO PRIMO 1683 Dresdae celebrato Ordines prouinciales ac diligentius agere coeperunt de ecclesiasticis pariter ac secularibus rebus ad salutem Saxoniae statumque publicum spectanti-




bus: sed res, multis quippe difficultatibus obnoxia, effectu suo caruit. Si faciem et conditionem temporis, quae tam fuit, in memoriam reuocamus: — in vniuersum enim nihil magis ad legum rationes indagandas valet temporum cognitione, vt adeo rectissime mihi videatur contendere FRANC. BALDWINVS in libro *de institutione historiae et eius cum iurisprudencia coniunctione* post Patissinam editionem cura Gundlingij *Halae 1726.* 8. recuso, esse historiae cum iurisprudencia coniunctionem tam necessariam, quam vnius corporis diuisae partes aut membra diuelli neque possunt neque debeant — si igitur temporis illius imaginem recordamur: fatendum est, desideria ista eo diligentiori expositione digna fuisse, quo maiori calamitate patria belli cladibus exhausta premebatur. Oblatis igitur a Nobilibus et Ciuitatibus grauiumibus tam generalibus quam specialibus, quae integro volumine continentur, propositum fuit, vt, cum essent innumerae fere caedemque altioris indaginis quaestiones cognoscendae et excutiendae, nominarentur, qui, perlustratis pensatisque singulis grauiumibus capitibus, rationem medelae adhibendae demonstrarent, et solerti calamo perscriberent. Nouae anno 1703. huius querelis querelae additae, et in comitiis demum a DIVO IO. GEORGIO SECUNDO anno 1707. habitis ex Illustribus aulae Proceribus et Ordinibus prouincialibus electi, et publica auctoritate constituti, qui examinarent eas, certamque sententiam statuerent. Vt nomina eorum, quibus componendarum RESOLUTIONVM negotium demandatum fuit, sciamus, gratamque eius rei memoriam quasi recolamus, haud alienum erit, hoc loco subiicere verba, quae in actis comitiarum statuum prouincialium consignata leguntur. Ac primum quidem eum in modum rescripsit Elector: *Wie Wir Uns aber berichten lassen, dass der Verzug der bey voriger Landes-Versammlung zur Erörterung übergebenen Grauiumibus maßentheils daher rühre, weil die vormalt deputirte Personen die erforderliche Zusamen-*

men-

menkunft unter dem Vorwand ermangelter Unkosten jederzeit verschoben, und Wir Unsers Orths solches Werk zu befördern geneigt, auch zu solchem Ende aus Unsern Hofraths-Collegio Johann Friedrichen von Burchersroda, Maximilian Ferdinand Hoen von Höneg, D. Nicoll Pffretzschmern und Burchhard Berlichen allbereits Befehl ertheilet &c. Recensentur deinceps nomina eorum, quorum ope ac consiliis Ordines vsi sunt in enodandis grauinibus. Ex Nobilibus quidem: *Johst Balthasar von Welchhausen, Ernst Friedemann von Selmietz, Haubold von Miltiz, Heinrich Hildebrand von Einstedel, Johann Georg von Ponickau, George Joachim Rabe, August von Quingenberg.* Ex Ciuitatibus autem: *wegen Leipzig, D. Friedrich Kühlewein; wegen Wittenberg, D. Christoph Bressler; wegen Dresden, Christian Schumann, Bürgermeister; wegen Zwickau, D. Andreas Conrad; wegen Freiberg, Sigmund Horn, Stadtrichter; wegen Langensalza, Christoph Schmid, Bürgermeister; wegen Plauen, D. Dettlaff.* Iam vero cum eo, quo Ordines discedebant, tempore, dissoluendae reserent omnes adhuc ad rem fiscalem pertinentes quaestiones: substituit Consul Lipsiensis, et speciali mandato instruxit alios, Carolum Fridericum Heimannum, Praetorem Dresdanum, et Sigmundum Hornium, Fribergensem, qui utriusque, et maioris, et minoris, quod Ciuitates constituunt, collegii nomine, *des engen und weiters Ausschusses*, opus coeptum vrgerent, et, ne quid detrimenti caperent, circumspicerent. Frustra. Nouae potius difficultates oriri; Circuli suas sententias aperire; Ordines ipsi, morarum pertaesi, conuenire; causarum decifarum promulgationem, decidendarum enodationem anno *1709* iteratis vicibus orare; implorare; Principis opem exposcere; contraria omnia esse. Auditis tandem et ponderatis eorum in iisdem comitiis solenniter exhibitis monitis, variisque super iure rullicis operas ad aedificandum imponendi, iisque feruivit indicendi controuersis felicissime sopitis, a Principe Optimo spes

non



non solum certissima edendarum RESOLUTIONVM anno 1606 facta, sed etiam expleta, imo superata fuit, ita quidem, vt eas in vim condendae legis anno 1606 edicto in perpetuum valituro publice confirmaret. Constant haec RESOLUTIONES tribus capitibus, de rebus ecclesiasticis, politia, Principis redivibus ac patrimonio agentibus, et insigniuntur hac inscriptione: *Erledigung derer in anno 1653 und 1657 bey gehaltenen Landes-Zusammenkünften, von der Landtschaft des Churfürstenthums Sachsen, in Kirchen-Consistorial-Justiz-Policey, Renth- Cammer- und andern Sachen übergebenen Gebrechen, wie auch Decisiones zweifelhafter Rechts-Fälle publicirt den 22 Junii a 1661*, licet lineae Prologi et Epilogi, imprimendis grauanum Resolutionibus addendi, paulo aliter ductae deprehendantur in actis comitalibus. Soleut eiusmodi Grauaamina ab Ordinibus prouincialibus legitime conuocatis in quouis conuentu proponi, et, quo Principi exhiberi possint, in scripturam redigi: sed nullae ob varias, quae administrandae iustitiae rationem docent, particulas magis commemorandae, nullae grauiiores, nullae praestantiores extant horum Grauanum RESOLUTIONIBVS. Ac quoniam disputandi occasionem praebere solet tempus, a quo nouarum legum auctoritas coepit, cum nonnulli iuris Interpretes nouis legibus statim a die promulgationis vim tribuant, alii, bimestri demum post publicationem spatio elapso, contendant obligationem inducendam esse, placuit totam hanc litem dirimere, ac certum et determinatum temporis intervallum ad praecipendas Resolutiones indulgere. Sapienti enim consilio Princeps ipse suis legibus, quatenus ius nouum continent, tum ad ciues iustuendos, tum ad Ictos praeparandos, spatium quoddam praescripsit, constituendo, vt eae non nisi duorum mensium post publicationem lapsu obligandi vim haberent, id quod ex hisce Epilogi verbis apparet: *damit nun diese Unsere reifflich erwogene Resolutiones, Decisiones und Erledigungen, nicht allein zu wirklicher Observanz gebracht,*



bracht; sondern auch darinn beständig erhalten, und allenthalben der gemeine Nutz befördert werden möge; so befehlen Wir hiermit allen und jeden Prälaten, Grafen, Herren, denen von der Rittertschaft, Oberhaupt- und Amt-Leuten, Verwaltern, Schöffern, Gleits-Leuten, Bürgermeistern, Richtern und Rätthen in Städten, Schultheissen, und ingemein allen Unsern Unterthanen und Verwandten, geist- und weltlichen Standes, zuvörderst aber Unserer Regierung, Consistorien, Appellation und Hofgerichten, auch Facultäten und Schöpffenstühlen, daß sie ob diesen Satzungen, Erklärungen und Geboten, ohne einig Ansehen der Person, steiff, fest und unverbrüchlich halten, sich in vorkommenden Sachen hinfuro darnach achten, mit denselben, von dato der beschehenen Publication, innerhalb zweyer Monat den Anfang machen, und keinem, wer der auch sey, darwider zu handeln nachlassen sollen. Alles bey Vermeidung Unserer Ungnade und ernster Strafe, mit deren Einbringung wider die Verbrechere jedesmal unmachlässig zu verfahren. Neque hoc unum in hoc genere spatium fuit. Plura supersunt exempla in Praefatione ad Constitutiones Augusti anno 1606 conditas; in Praef. ad Ordinat. Processus anno 1606 editam, atque in Praef. Ordinat. Proc. Recogn. quae anno 1606 prodit, praemissa. Frustra tamen huic opinioni praesidium e Novella LXVI, cap. I. arcessunt IO. HENR. DE BERGER in *Oecon. Juris* p. 8. ex edit. noviss. PERILLVSTRIS WINCKLERI, BENED. CARPZOVIVS in *Dec. CI. n. 20*, GOTHOFR. BARTH in *Hodeg. for. cap. VI §. 2.* et IO. PHILIPP in *Vsu pract. Inst. lib. I. E. u. n. 3. sqq.* Quae enim de bimestri spatio ad nouae legis obligationem inducendam proferri solent, ea vereor, vt locum habeant, nisi Princeps disertis hoc verbis concesserit. Silentio tandem praeterire haud possum, quae in iisdem RESOLUTIONEVS cap. II. §. 49. de iuris Saxonici applicatione et interpretatione, de qua verissimum iudicium memini me legere apud


C

10.



IO. SCHILTERVM in *Praxi iuris rom. Exercit. I. coroll. 5.* in universum traduntur. Orta nimirum opinionum diuersitate, qua ducti plures iique haud exigui nominis Icti obseruantias inter juris species referre haud erubescabant, disertis verbis, ne qua superesse possit dubitatio, declarauit legis Conditor Sapientissimus, displicere sibi obseruantias. Hoc enim perspicue docet Sanctio, cuius vindicias dedit MICH. HENR. GRIBNERVS in elegantissima Dissertatione de *Obseruantis Collegiorum Iuridicorum ad §. 49. Resol. grauam, d. a. 1661* Eius *selectis Opusc. Tom. IV. sect. II. p. 43* seqq. inserta, quamque colophonis loco adscribam, cum animis omnium imprimi et inscribi mereatur: *damit aber im künftigen dergleichen zweifelhaftige Meynung nachbleiben, und allenthalben eine Gewisheit und Gleichheit im Sprechen seyn möge; so ordnen und setzen Wir hiermit, befehlende, daß kein Collegium iudicum Macht haben solle, in denen Punkten, welche nicht mit deutlichen Worten in Constitutionibus, Landes-Gerichts- und Policey-Ordnungen exprimiret, sondern per consequentias und Folgerungen daraus gezogen werden wollen, vor sich ohne Unser Vorwissen wider das andere Collegium ex interpretatione einige Observanz zu machen, sondern es sollen Uns dergleichen Casus dubii jedesmahl aus denen hinc inde angezogenen rationibus juris eingesendet und mit Zuziehung der getreuen Landschaft dieselben decidiret werden.* Hac sane saluberrima Constitutione, vt bene monet GRIBNERVS, obseruantis adeo omnis vis et auctoritas denegata est, mirum vt sit omnino, eas contra disertam Legislatoris voluntatem praeualere in foro, et eam, quam tenent, potestatem consequi potuisse, cum idem fere repetitum fuerit mandato regio d. iv. Aug. 1600ccxii emissio in EOD. AUG. Tom. I. p. 1806.

Nec minoris momenti, et tanquam perfectissimarum legum exemplar commemorandae veniunt DECISIONES CASVVM DVBIORVM, quae cum quatuor Constitutionum a DIVO AVGV-




STO promulgatarum libris vtramque sane paginam faciunt in jure Saxonico Electorali. Audiamus ipsum Principem, de provincialis huius Sanctionis origine et fati in RESOLUTIONE GRAVAMINVM cap. II. §. 48. ita exponentem: *Es hat sich auch Unsere getreue Landschaft ingemein beklaget, das in vielen unterschiedlichen Fällen, die Facultäten, Schöppenstühle, und andere Iudicia dieser Lande, von einander dissentiren und ungleich sprechen, auch die Landes Constitutiones auf widerwärtige Meynung auslegen thäten, daher es bey dem gemeinen Mann dahin gedeutet werden wollte, das dergestalt unter einer hohen Obrigkeit nicht einerley Recht zu erlangen, sondern dasselbe in lauter Ungewisheit stünde, auch seyn und bleiben müßte; und das propter diuersitatem opinionum etlicher Rechtslehrer, kein Schluß noch rechtmäßige Sanction gemacht werden könnte. Gleichwie aber, zu Zeiten Unserer in Gott ruhenden Hochlöblichen Vorfahren, sonderlich Churfürsten Augusti Christfeel. Andenkens, durch die publicirten Constitutiones, wie auch Unsers Hochgeehrten Vaters und Gewatters Gn. durch die Proceß- und andere huyßame Ordnungen ein sehr löblich und nützlich Werk gestiftet, und vieler zweifelhafter Fälle Decision, darnach in sententionando die Iudicia und Collegia juridica sich zu reguliren, heraus gegeben worden: Also haben Wir Uns Unserer Verordneten unterthänigsten Vorschlag gnädig gefallen, und an die Hofgerichte, Consistoria, Iuristen-Facultäten und Schöppenstühle zu Leipzig und Wittenberg gemessene Befehliche ergehen lassen, diejenigen disputirlichen Fälle, darinnen bishero ungleich gesprochen worden, samt ihren angehengten Bedenken, so viel möglich, in einen Bericht zu bringen und einzuschicken, welches sie dann auch gehorsamlich zu Werk gestellet. Hierauf haben Wir viere aus Unsern Räthen, viere von der Ritterschaft und vier Doctores Iuris aus denen Städten verordnet, solche zweifelhaftige unerörterte Fälle exemplo maiorum in reife deliberation nehmen, und dem gemeinen Wesen zum Besten, auch Abwendung*





vieler schädlichen Inconuenienzien, (weiln die *Iustitia constans et perpetua* und keine *quaestio* so wichtig, die *ex iure vel juris ratione* nicht beständig zu decidiren, wann nur die *Rationes dubitandi et decidendi* nicht von einander unterschieden, und aller falscher *Wahn* und unnöthig *Disputat* vermieden werden) zu einer *Gewissheit* bringen lassen, auch mit Unserer Brüdere *L. L. L.* nothdürftige *Communication* darüber gepflogen, gestalt dann solche *Decisiones* neben diesen zugleich zur *Publication* befördert werden sollen. Seruauit fidem Serenissimus Elector. Sunt enim vna cum Resolutionibus vno eodemque tempore d. xxii Iunii clolcclxi promulgatae, majestatis sigillo, de quo peculiarem commentationem conscripsit MICH. HENR. GRIBNERVS in *Opusc. Sel. Tom. III. Sect. III. p. 46. sqq.* munitae, et sub nomine: *DECISIONES ELECTORALES SAXONICAE, oder Erledigung derer zweifelhaften Rechts-Fälle*, non solum in *CODICE AVGVSTEO Tom. I. p. 294—340.* repetitae, sed et a CHRIST. HENR. BREVNINGIO *Lips. 1746. 4.* iterum editae. Rationes, quibus motus noui juris conditor extiterit, in sanctione decisionibus suis praemissa ipse indicauit IO. GEORGIVS SECVNDVS. In maximis scilicet, quae inter Facultates Iuridicas et Scabinatus tum intercedebant, dissensibus, quibus jus in pronuntiando incertum plane regnare videbatur, voluit Princeps noster satisfacere et precibus Ordinum provincialium hac de re in comitiis aliquoties prolatis, et incredibili ac singulari prorsus aequi bonique constituendi studio cum summa pro eivum salute cura conjuncto. Quod quidem institutum vt bene feliciterque cederet, Summis primum, quae ius in Saxonia dicunt ac de eo respondent, Collegiis praecepit, vt dubia juris quaesita in commentarios referrent, et perscripta diligentius transmitterent, additis in vtramque partem rationibus. Iam quanta cum circumspectione, quantaque cum diligentia in suscipiendo arduo hoc negotio versatus sit Elector, id, posito vel vno exemplo, satis superque cognoscitur.

Post



Post intervallum bene longum, ex quo aliquoties ea de re in comitiis disputatum erat, subdifficili illa de vsuris fortem adaequantibus, num vterius peti possint? quaestione iuris iterum proposita, de qua quidem quaestione subolsescisse quaedam videtur PETR. HEIGIVS in *quaest. iur. civ. et Sax. Vittemb.* 1601. 4. incomparabilis ICTUS, cuius vitam adumbravit IO. FRID. IVGLERVS in commentariis: *Beyträge zur iuristischen Biographie, Leipz.* 1773. 8. Tom. I. p. 426. non aliter rem, denuo sub incudem reuocatam, et Decisione XXIX vna cum reliquis iuris articulis, ob ICTorum controuersias perquam ambiguis, nunc definitam, tractandam censuit, quam perpenfis et in consilium adhibitis, quae ab omnibus Saxoniae Collegiis de iure respondentibus anno c1o1oCXLV Principis iussu exhibitae fuerant, iuris rationibus. Quo facto, controuersas has quaestiones, magna cum deliberatione elaboratas, vti fert Saxonum obseruantia, tanquam leges in posterum valituras, in comitiis anno c1o1oCLIX proposuit Elector Ordinibus, qui, si quid egregie putarent ad patriae salutem facere, expromerent, ipsumque Principem voto, quod solenni nomine consultatiuum vocare amant, adiuuarent. Hi quidem, cum ipsis viderentur, perlustrato illo volumine, addenda nonnulla, ad rationem litium tractandarum emendandam et commercia promouenda spectantia, in quibus potissimum, vt mercaturam exercentibus expeditissima iuris dicundi ratio pateret, nec decoctoribus litera, quas vocant, moratoriae indulgerentur, neque in bonis castrensibus vel quasi locum haberet patria potestas, et multa alia fuerunt, supplicibus precibus d. XXIX. Dec. c1o1oCLX et iterata vice d. iv. Febr. c1o1oCLXI adierunt Principem, vt Decisionibus haec et talia inferere iuberet per Proceres aulae, NICOLAYM PEREZSCHNERUM inprimis et BYRCARDVM BERLICHIVM, quibus inter alios placandarum iuris altercationum negotium antea demandatum fuisset. Ita vero absolutum est perfectissimum legum patriarum Corpus






pus, DECISIONES, quae cynosuram quasi praebent iuris civilis Saxonici, et in quibus componendis, dici vix potest, quanta cum cura, diligentia, ac sapientia denique versatus sit IO. GEORGIVS SECVNDVS, vel solis his Sanctionibus immortalis. E peculiari- bus nonnullis capitibus ab iis, qui tum in sacro Principis auditorio consulti sunt, in comitiis d. XIII. Mart. 1610. propositis, et actis comitorum insertis, animaduertere licet, constitutum fuisse, vt praeter Illustres aulae Saxonicae Proceres nominarentur ab Equitibus et Ciuitatibus, qui collectas a Facultatibus Iuridicis iuris controuersi quaestiones examinarent, et, singulis ordine digestis, deciderent. Fuerunt igitur, peracto Ordinum dellectu, huic negotio suscipiendo designati ex Nobilibus: CONRADVS LOESERVS, Marefchallus iure hereditario vicarius, HENRICVS HILDEBRAND AB EINSIEDEL et FRIDERICVS DE WERTHER, vterque Consiliarius in suprema curia Dresdensi, ad quam prouocatione certatur, et ex Ciuitatibus legati Lipsienses, Wittebergenses, et Dresdani, quorum nomina iam recensuimus. Quemadmodum autem in suis Constitutionibus, quarum historia et indoles praeclare traditur in conscripta elegantissime et Praefide CAR. FERD. HOMMELIO *Lips.* 1765 defensa Dissertatione: *Electoꝝ Augustus Saxoniae legislatoꝝ*, repetita etiam, quisquis libelli auctor sit, in *Eius Opuscul. iuris vniu. Baruth.* 1785. *Part. I.* p. 357 sq, hoc potissimum voluit Augustus, vt in condendo nouo iure post leges naturales primum ratio haberetur legum patriarum, peregrinae autem non nisi in subsidium aduocandae essent: ita, cum in tanta, qua in pronunciando adhuc utebantur, opinionum diuersitate, post Constitutiones Augustaeas nouo earum supplemento et quasi continuatione quadam sua aetate opus esse videretur, egregius quoque in Decisionibus promulgandis iuris Saxonici vindex et defensor extitit IO. GEORGIVS SECVNDVS, id quod praesentibus ac viuis exemplis illustrari posset, nisi angusti, quibus inclusi tene-

mur,



mur, descriptionis huius limites officerent. Possunt etiam, si formam operis species, pari cum Constitutionibus ratione et ad earum velut exemplum, in quatuor partes dissectari. Cum enim prima Constitutionum pars iudiciorum ordinem describat; altera de contractibus; tertia de successione, ultimis voluntatibus et inuestitura feodali, quarta de criminibus praecipiat: commode videntur DECISIONES, numero XCI, facta earum cum Constitutionibus comparatione, ita partiendae et collocandae, vt in vniuersum sit Decisio I vsque ad XXI vna cum XXXVII — XXXIX. XL. LVIII — LX. LXIII. LXIV. LXIX — LXXII et LXXIV. primae Constitutionum partis supplementum et quasi appendix; ad alteram partem Decif. XXII — XXXVI. XL. XLII. LXI. LXII. LXV — LXVIII. LXXIX et LXXX pertineat; tum Decif. XLIII. LVII cum LXXIII ad tertiam, et ad quartam Sanctionum Augustearum partem Decif. LXXV — LXXVIII, et LXXXI vsque ad vltimum spectet. Caeterum, vt rationem aliquam rei literariae habeamus, commentario sat luculento eas paulo post promulgationem illustravit IO. PHILIPPI, Scabinus Lipsiensis. Edidit is *Observationes iuris practicae ex Decisionibus Electoralibus Saxonis, Lips.* 1670 ibidemque 1694. 4. recusas, in quibus leges ipsas germanice et latine exhibuit, iisque singulis amplas et copiosas meditationes subiecit.

Verum enim vero in societatem iuris in his, quas commemorauimus, IO. GEORGII SECVNDI sanctionibus licet saluberrime constituti, Lusatia, quae suo proprio iure in multis vitur, nobiscum haud venit, vt fufius ea de re disputavit IO. ABR. FRENZEL in *Diff. de accessionibus iuris in Marchionatu Lusatae super. Erf.* 1734. 4. p. 19. sq. nouo etiam exemplo, Decisionibus nouissimis anno MDCCXLVI promulgatis, nuperrime demonstravit Vir de rebus Lusatorum merittissimus CHRIST. GOTTER. MEISSNERVS in commentatione: *gielt das Churfürstl. Sächss. Mandat vom 2. Julii 1746 wegen derer neuen Decisionen in Oberlausitz als ein Gesetz?* quae reperitur in *Eius* ad-



aduersariis: *Materialien zur Oberlausitzischen Rechts- und Geschichts-Kunde*, Leipzig und Görlitz 1785. 8. p. 149—196 inscriptis. Nihilò fecius de vtraque Lusatia, anno 1606 primò iure hypothecae et immisionis, deinde anno 1606 xxxv titulo perpetui ac sempiterni dominii sub lege beneficiaria a Ferdinando II. ad Serenissimos Electores Saxones translata, egregie meritus est Princeps noster, latis Constitutionibus sapientissimis. Nam vt mittam, quae de singulari eius studio instaurandi leges circa monetam eudendam, tyrannide aeruicatorum obliuioni fere traditas, dici et possent et deberent, in excelso quippe et illustri loco jam posita ab HENRICO DE BÜNAV in *Diss. de iure circa rem monetariam in Germania*, Lips. 1716. 4. et a IO. IAC. MASCOVIO de *iure circa rem monetariam in terris Saxonicis Electoralibus*, Lips. 1723. 4. quo quidem studio excitatus, cum Celsissimo Electore Brandenburgico, communicatis anno 1606 lxxvii in monasterio Zinnae prope Iuterbocam, vnde constitutam ibi metallorum proportionem ponderisque in moneta rationem modum Zinnensem vocant, per legatos consilijs de ratione ordinandi tantisper monetam, peculiare pactum iniit apud LVENIGIVM in *deutsch. Reichs-Archiv Part. spec. II. p. 200.* et DV MONT *Corpi dipl. Tom. VII. P. I. p. 58.* ea plane intacta relinquo, licet modorum Zinnensis et Lipsiensis discrimen penes Lusatos quoque attendatur, vt e rescriptis a sacro Principis Consistorio ad supremum Capitaneum, qui Budissini est, in causa Christ. Kriebelii contra Io. Christ. de Klemm d. xxii Aug. 1606 cii et d. xii Ian. 1606 ciii datis ex instituto demonstravit IO. HENR. DE BERGER *Elect. Diss. forens. tit. L. obs. III. p. 1675. sqq.* Scripsit Lusatis praeter Ordinationem et Taxam Cancellariae ac Iudicii curialis in praefecturis Budissinensi et Gorlicensi IO. GEORGIUS SECUNDVS varias leges, ad iustitiae et politiae inter status prouinciales et subditos administrationem, causasque et ciuiles et feudales tendentes, quae,


fi

si censam earum inire lubet, tricenum fere numerum superant, et in COD. AVG. T. II. Part. III. p. 240-292. p. 360 et sq. p. 394-400 concinna ferie eduntur. Eminent inter has potissimum illa Sanctio, qua, ne ciues Lusati feoda acquirant, publice prohibitum fuit. Iure Lusatico scilicet, quo feoda non in beneficiariorum, sed oblatorum numero esse censentur, vt e DANIELIS RIECH *different. iuris feud. com. et Lus.* in HOFFMANNI *Script. rer. Lus.* Tom. III. p. 28-34. pariter, ac IO. PET. LVDWIG *Opusc. misc.* Tom. I. p. 883-918, et WOLFG. ADOL. DE LEVNITZ *Diss. de alienatione feud. Lusatae superioris Wittenb.* 1721 defensa, CHRIST. GOTTL. WABSTIVS in *der historischen Nachricht von der Verfassung des Churfürstenthums Sachsen Leipz.* 1732 f. p. 56 tradidit, circa feodorum acquisitionem et dispositionem singularia sibi iura vindicant vasalli, qui primum, ne emtores equestrium honorum alios, quam viros nobiles, admitterent, pacto c1010cxix inito, sese inuicem obstrinxerunt, cuius verba in COD. AVG. T. II. P. III. p. 362 ita exhibentur: *dass kein Landsass bey Verlust des halben Theils der Kauffsumma Macht und Gewalt haben solle, seine Lehen und Erbgüter jemanden anders, als einem Vierschildigen Herrenstandes, oder vom Adel uralten Geschlechts und Herkommens zu verkaufen.* Approbauit hoc pactum ab Equitibus Lusaticis anno c1010cliv renovatum IO. GEORGIVS II. d. 1. Febr. c1010clxvi consensu suo, eundemque curiam, quae Budissini est, supremam d. xxiv Maii c1010clxvii iussit promulgare, licet sequiori aeuo, vt diligenter obseruat BENI. GOTTL. WEINART in *Lehnrecht des Markgrasthums Oberlausitz Dresden und Leipz.* 1785. 8. T. I. cap. 4. p. 31, pacto hoc incolumi, nobilium feuda aliquoties ciues sibi comparauerint.

Iam vero, ne scriptiunculae academicae limites excedam, lectorumque videar patientia et humanitate abuti, restat vnum, idque

D

longe



longe iucundissimum, vt, cuius causa hoc, quicquid est profusionis, prolatum fuit, commemorem. Placuit SERENISSIMO PRINCIPI ELECTORI SAXONIAE, FRIDERICO AVGVSTO, PIO, FELICI, PACIFICO, amplissimis iam beneficiis in me indulgentissime collatis, per VIROS SVMMOS, quorum sapientissimis consiliis res academicae reguntur, in hac studiorum florentissima fede, Professionem Iuris Saxonici Ordinariam elementissime mihi demandare, ipsumque hoc munus grauissimum, cumulatam etiam et ornatam singulari quodam et eximio liberalitatis beneficio, tribuere. Cuius beneficii magnitudinem cum pietas, vt tacitis animi recessibus veneratur, ita in hominum oculis et conspectu praedicare cupiat: decreui, proximo Mercurii die, qui est xxv Nouembris, recitata oratione *de addiscendi iuris Saxonici necessitate*, votisque pro inconcussa salute OPTIMI PRINCIPIS, DOMVS AVGVSTAE et AMICORVM EIVS ILLVSTRISSIMO. RVM nuncupatis, munus illud solenniter auspiciari. Huius meae pietatis testes vt habeam quam plurimos, RECTOREM ACADEMIAE MAGNIFICVM, COMITES ILLVSTRISSIMOS, VTRIVSQVE CIVITATIS PROCERES GRAVISSIMOS, VNIVERSOSQVE HVIVS VNIVERSITATIS LITERARIAE CIVES, vt dicenti mihi frequentes propitiique adesse et fauere velint, omni, qua par est, humanitate et obseruantia rogo. P. P. in Vniuersitate literarum Lipf. Dom. xxiv post Trinitatis A. O. R. clōēccclxxxix.



Leipzig, Diss., 1789 P-Z

X 241 7829





10805.

1789 28.
11

ELECTOR IO. GEORGIUS II

SAXONIAE ET LVSATIAE LEGISLATOR

AD AVDIENDAM ORATIONEM

IN AVDITORIO ICTORVM

PRO CAPESSENDA

IVRIS SAXONICI CATHEDRA

D. xxv. NOVEMB. A. O. R. cldccclxxxix

RECITANDAM

OBSERVANTISSIME INVITAT

AVGVSTVS CORNELIVS STOCKMANN

LIPSI AE

EX OFFICINA IACOBÆERIA

